

W f
685



N. 6





THRENOLOGIA I.

De tristissimo, beatissimo tamen, obitu
& abitu

ILLVSTRISSIMI ET CEL-
lissimi PRINCIPIS ac Domini

**Dn. FRIDERICI
WILHELMI DVCIS
SAXONIÆ, LANDGRA-**

vij Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Proëlectoris
quondam laudatissimæ memoriæ, meritissimi,

ANNO M. DC. II. 7. Iulij in cœ-
leste πολιτευμα evocati.

F E N A E

PUBLICÆ

In Auditorio maiore

ANNO M. DC. V. VII. IVLII
ipso discessus die

Debitæ subiectionis & συμπαιθείας ergò
recitata

*M. THOMA SAGITTARIO
P.L. Cas. & ibid. Græcæ Ling. Profes: publ.*



ALTENBURGI IN OFFICINA ILLVSTRI.

BIBLIOTHECA
POMICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALE)



ILLVSTRISSIMIS
ET GENEROSISSIMIS

Principibus ac Dominis,

Dn. IOHANNI PHILIPPO,

Dn. FRIDERICO,

Dn. IOHANNI VVILHELMO,

Dn. FRIDERICO VVILHELMO,

Illustrissimi ac Celsissimi Principis
ac Domini,

Dn. FRIDERICI WIL-
HELMI PROELECTORIS

quondam laudatissimæ memoriæ relictis filijs

DVCIBVS SAXONIAE, LANDGRA-
vijs Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, &c. Dominis meis
Clementissimis & munificentissimis.

Paulùm sepultæ distat inertia
Celata virtus.

Ex Hora-
tio libr. 4.
Carm. Od.



*N*iceat Vestras Celsitudines, vos o
velut cæli Saxonici sidera clarissima
mibi hisce Horatij verbis alloqui.
Cum humanis enim hisce ita compara-
tum est, ut facilimè omnia fædis silen-
cij & oblivionis tenebris obvolvantur & involvan-
tur, nisi eadem vel sæpe repetantur & inculcentur:

A 2

vel



vel certe literis commendentur, & velut in Gloria
templo, tanquam olim trophæa bellica & pyramides
erigantur. Omne præclari facti decus crebrâ memoriâ
in seipso revirescit ait Valerius Maximus. Imò verò

Lib. 4. rer.
memorab.
c. 8. tit. de
Pop Rom.
Ex morat.
4. Carm.
Od. 8.

— — — neq;
Si chartæ fileant quod benefeceris
Mercedem tuleris. Quia

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignoti q; longa

Nocte, CAR ENT QV IA VATE SACRO.

Paucis:

Dignum laude virum Musa verat mori,
Cœlo Musa beat.

Ex li b. 5.
Ref. me-
mora. c. 2.
tit. de Fa-
bio Maxi-
mo.

*Eat nunc quis & eleuet premia virt utis cum animi-
aduertat fortes viros felicius sepeliri, quam vive-
re ignaros, ut iterum utar verbis Valerij.*

*Quare vestri parentis Domini FRIDERICI
WILHELMI Saxonie Ducis Christianissimi, Augu-
sti nostri munificentissimi & clementissimi, beatissimæ
memoriae, vitam, quantum quidem & mea, qua
domi est satis curta, supellex & temporis angustia, cui
& me omnino attemperare coactus fui, permiserunt,
CARMINE HEROICO describere sum conatus,
illudq; quatuor vicibus publicè in solennibus con-
ventibus recitare decrevi. Duas jam tum Parenta-
tiones & Threnologias, unam anno superiore
alteram*

alteram hoc presente, utramq; ipso mortis die, qui
erat 7. Julij recitavi, ceteras si mihi DEVS faue-
rit, suo tempore adiecturus, tum ut debitam & hu-
milimam συμπαθείαν hoc communi luctus tempore
ostendam: Tum vel maximè ut meam erga Do-
mum Saxoniam Illustrissimam Gratitude[m] ali-
quali duntaxat signo declarem. Συμπαθεία in tan-
to luctu & insperato tam boni Principis & Patris
Patriæ obitu & abitu qui civis tangitur nulla, illum
genuit

— duris cautibus horrens

Virg. lib. 4.
Aeneid.

Caucasus, Hircanæq; admorunt vbera tygres.

Gratitude[m] qui suis benefactoribus meritissimis de-
negat, neq; gratias re, cum posset, refert, neq; verbis
agit, neq; animo habet, hunc ego ex numero hominum
ad Cyaras Anticyrasq; relegandum esse existima-
verim.

— — DI talem terris avertite pestem
Non ingrata adeò gestemus pectora docti.

Quamobrem vos ô optimi Patris, optimi filij,
Augusti nostri clementissimi, hinc meum conatum &
fæctum ursinum fortasse, non tamen leoninum aut
Theoninum, quem certè nolim, vestro approbate cal-
culo, & hoc, quod humilimè offero, munusculum
chartaceum elementissimè accipite & suscipite.

A 3

Sic

Sic vos Iovabeet, sic tristia pectora dictis
Sublevet, & patria pro pietate juvet.

Sic vos SAXONICAE clarissima sidera RVTAE
Vndiq; mirentur CVRIA, TEMPLA, SCHOLAE.

*Hiscce Vestras Celsitudines Deo Vno-Trino com-
mendo. Data Jenae 15. Julij Anno 1606.*


V. V. V. V. Celsitud.

subiectis.

M. Thomas Sagittarius
Professor.

DECA.

AE
E.
18.



DECANVS COL-
LEGI PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA IENENSI,
M. GEORGIVS LIMNAEVS

Professor publicus,

L. S.

Dvblicæ istæ virorum de Ecclesia & Rep. bene meritorum & cum laude defunctorum commendationes quanto in precio olim sint habitæ, Imò etiamnum in Scholis Christianis habeantur vel puer sit qui ignorat. Nec habentur sine causa. Illa imprimis: Tum vt Memoria dignorum apud homines grata prædicatione colatur, & ad seram vsque posteritatem propagetur. Omne enim præclari facti decus crebra memoria in seipso revirescit, quod aiebat Val. Maximus. Quo nomine & olim Poëtæ optimè audiebant, vt pote qui suis carminibus demortuis, quasi secundam vitam tribuere viderentur. Vnde rectè gestorum velut præmium defunctorum memoriam habet M. Aurelius Imp. Sic enim inquit: Tales debent esse Principes, vt sint qui & superstitum vitam pijs Deo votis commendent, & defunctorum memoriam grata prædicatione prosequantur. Tum vt videntes conspecta aliorum virtute ad similia peragenda incendantur & inflammentur. Dici enim vix potest immane quantum exempla viua moneant, moveant

moveant & doceant. Nec enim malè apud Virgilium
suum ad Ascanium Aeneas pater,

Disce puer virtutem ex me verumq; labores,

Fortunam ex alijs,

Et mox:

te animo repetentem exempla tuorum

Et pater Aeneas & avunculus excitet Hector.

Hisce & alijs longè plurimis inductus vir clarissimus
& doctissimus M. THOMAS SAGITTARIUS P. Cæ:
sar. & Collega noster honorandus, Illustrissimo &
Celsissimo Principi & Domino, DN: FRIDERICO
WILHELMO, Duci Saxoniae, Landgrauio Thuringi-
ae, Marchioni Misniae, &c. Domino nostro quon-
dam Clementissimo, beatissimæ memoriæ, ante tres
annos hoc ipso die ad cœleste *πολίτευμα* evocato
PARENTATIONEM PUBLICAM eleganti carmine
Heroico ad diem Lunæ crastinum HORA IX. in au-
ditorio maiori consensu nostro instituet, suam hac in
parte erga beatissimum Principem gratitudinem, erga
Domum Saxoniam Illustrissimam debitam *συμπά-
θειαν* & observantiam abundè declaraturus.

Quare omnes Academiae nostræ cives, amanter
& officiosè rogamus, vt in honorem beatissimi Prin-
cipis demortui, (de cuius laude in hisce præstat tace-
re, quam pauca dicere, quod de sua Carthagine Salu-
stius) ad panegyrim illam dicta hora frequenter con-
fluant, suæ pietatis & gratitudinis debitæ facturi spe-
cimen longè maximum. Omnibus & singulis
nostra rursus prostant officia. P. P.

Ienæ XIX. Iulij ANNO

M. D. C. V.



Non



Non tantas lacrymas, non hæc suspiria demens
Extorsit rabies, non hæc solennia nobis
Vana superstitione, veterumq; ignara malorum
Imposuit, magnâ deiecti clade, parentem
Et patriæ decus egregium, dum fata sinebant,
Deslemus mæsti, meritosq; novamus honores.

Eheu triste malum quid me alta silentia cogis
Rumpere? Et ingentem toties renovare dolorem?

Annus exactis completur mensibus orbis,
Ex quo Saxonice sidus prænobile Rutæ
Insignis pietate Heros, animoq; virili
WILHELMVS præter sperantum fata bonorum
Debita, decumbis moriens, fratremq; gementem,
Mærentem viduam, prolemq; suosq; precantes
Plurima, sed frustra, tristi in statione relinquit,
Commendansq; animam CHRISTO succedit Olympo.
Ex illo deserta domus, patriq; penates
Rutaq; Saxonica ingentem traxere ruinam.

Quis nostrum casus tantos si pectore volvat,
Temperet à lacrymis! quis digno carmine manes,
Principis illustres manes dignabitur agrè? •
Non obtusa adeò gestamus pectora docti.
Scilicet haud stultos sectari diva Poësis
Debet sarcasmos, turpemq; halare Mephitim;
Non sic non talem nobis divinus Apollo
Promisit, tantoq; offert sua dona labore;
Sed fore quæ doctæ referat modulamine vocis
Fortia facta Ducum, Superumq; immisceat oris.

B

Laudes

Laudes & magni Iovæ miracula, & ingens
Virtus maiorum hoc opus, hic labor esto Poëtæ.

Et nos ergo aliquid tentabimus; omnibus æquè
In medio palma est, olimaq; haud invia nobis
Facta via est, concessa lyra est, super astra Davides
Quæ ferat excelsos, & famam jungat Olympo.

Sunt, non diffiteor, vires pro nomine tali
Exigua, tantis nec possunt carmina factis
Respondere, labant nervi, sensusq; laborant
Materiâ in magnâ tennes, & vota fatigant,
Haud secus ac rapido qui lembum flumine, fractis
Remigijs subigit, si pectora forte quod usquam est
Roboris, accelerare velint, sed brachia tanto
Succumbant oneri, levis est vix usus in illis,
Hunc verò in præceps pronis rapit alveus undis,
Imò corda gravi concussa dolore gemiscunt
In tanto casu, turbataq; funere mens est.

Mens turbat vocem torpentq; ad magna Camæna.
Immaduère genæ lacrymis, vox faucibus hæret.
Gaudia nempe animus Scribentis quærit, amantiq;
Semper lætitiâ qui Phœbo digna loquuntur,
Extulit haud vivos moeror sub pectore motus,
Sed fregit lapsos, & in ægras dispulit auras.

At liceat tamen ad bustum considerare tantæ
Principis: & raucas audire & reddere voces,
Vel testes saltem lacrymas de pectore tristi
Fundere, quæ veniant felicibus insuper umbris
Inferiæ, quæq; esse queant solatia luctus
Exigua ingentis, patriæ sed debita patri.

Non dabitur laudes sublimi carmine, & amplis
Facta referre modis, ausisq; æquare cothurnum.
Esto, Referre tamen dabitur, nec ubiq; tacere

Conve.

Conueniet. Iam possumus, Quia velle videmur.

Possumus. Quia qua ferimus debemus amico,
Quo fuit in Musas, animo, mentiꝫ benigna.

Vos ergò ò Musa pia carmina promite, Muse
Promite, & in vatem vestras effundite venas.

Gloria vestra mea est. Si munera vestra negatis

Principibus sine labe viris quid deniqꝫ restat?

Aut, si defuerint vires, quia viuuda virtus

Principis, atqꝫ omnis qua rectè vita peracta est,

Longas ambages, longos exposcit honores:

Accelerate omnes, manibus date lilia plenis;

Purpureos spargam flores, & Principis umbras

His saltem decorabo modis, & fungar inani

Munere, & egregias magnâ ter voce vocabo

Exuvias, is quo cecidit, quem semper acerbum

Semper honoratum (pietas sic poscit) habebo.

Hoc ego Getulis agerem si montibus exul,

In sirtes in saxa alibi deducerer olim:

Annua vota tamen facerem, tristesqꝫ cupressos

Adijcerem, strueremqꝫ suis altaria donis.

Ne verò ne Mecænas, Celsissime Princeps,

Mecænas nulli pietate secunde IOHANNES,

Mecænas nulli virtute secunde IOHANNES,

SAXONIÆ prægaude decus, præamabile sidus,

Qui patrios solito moderaris jure Quirites,

Et populos clemens compostâ in pace gubernas,

Conatus nostrasqꝫ exiles despice Musas.

Fratrem nostra ferunt, fraterno nomine fisa

Ire in conspectus audent atqꝫ ora tueri.

Quæ verò nobis quæ gratior vlla futura est

Quam sibi quæ fratris præscripsit nomina Clio?

Vosqꝫ patres, juvenesqꝫ simul, quos equus Apollo

Præfecit studijs. & ad æthera viuuda virtus

Evehet illustres, audite. ô mentibus æquis,
Nec nostris hæc, parva licet, spectetis ab annis
Quæ ferimus, maius res ipsæ & publicus ordo
Promittunt decus, ingentemq; ingentior autor
Intus molem agitat, clarâq; in luce refulget.
Materies chartis licet infeliciter ortis
Dat Maiestatem, & magnos inspirat honores,
En Ducis, en patris, sed tristia fata canemus,
Flebimus, & grato cineri suprema feremus.
Quæ verò nobis quæ gratior vlla futura est
Quam quæ chara Ducis præscripsit nomina Clio,
Quam quæ chara patris deflet pia funera Clio.

Nox erat, & toto proflabant pectore scemnum
Cætera per terras animalia, ubiq; silebat
Latus ager, pecudes etiam, piæq; volucres,
Sive lacus liquidos, frigidis sive horrida dumis
Rura tenens, homines etiam suadentibus umbris
Sic sua sollicitis laxantes pectora curis
Carpebant placidum per corpora fessa soporem.

At non aula Ducis VVILHELM I Saxonis vllam
Acta dolore suis oculis aut pectore noctem
Accipit, ingeminant cura, mentemq; fatigant.
Principis egregij tristatur imagine cuius
Et vires robraq; diu decrescere in horas
Viderat, haud aliter ceu flos succisus aratro
Languescit moriens, lassove papavera collo
Demisere caput, pluviâ si forte graventur.
Multa viri virtus animo pietasq; fidesq;
In cives amor insolitus, curæq; recursant,
In miseros hærent infixi pectore vultus,
Verbaq; multa gemens tristi sub corde volutat.
Usq; adeo populum sub Relligione tueri

Tempestive

Tempestivè inopum fessis succurrere rebus
Et cives patrio affectu defendere multum est.

Tum verò populo solvuntur frigore membra,
Ingemit, & duplices tendens ad sidera palmas,
Mæstus ait: *Quæ nos quæ in secula fata reservant?*
Heu nos, heu quantas Thuringia patria clades
Sentiet, & lacrymis longum testata dolorem,
Quid claros habuisse duces, quid amare parentem
Profuerit, sed sera nimis mirabitur ætas.

Quanquam ò si visum tandem tibi CHRISTE, paternè
In melius tua quæ sunt orsa reflectere possis.
Hoc petimus. Da, CHRISTE, preces, da pondus habere.
VVILHELMVS lassus cubat, agro pectore sudor
Liquitur, & fessos quatit ager anhelitus artus.
Heu nos, heu, dulci obtutu spoliabimur olim
Sic VVILHELME tuo? nec nostris amplius oris
Exoptatus ades? nec patria respicis arva?
Nec sic aspectu Princeps te subtrahere nostro
Nec sic linque tuos. Tu verò, CHRISTE, precamur,
SAXONICI miseresce DVCS, miseresce, tuorum
Audi, CHRISTE preces, manda qui singula mandas,
Incolumem ut nobis VVILHELMVM vita reservet.
Vitam oro, patiar quidvis pro Principe tanto
Et tua pro meritis onerabo altaria donis,
Si nobis vivat modo communiq; saluti.

Talibus orabant cives, cunctiq; gemebant:
Excipiunt auræ, quæ verba precantia fundunt,
Nec precibus vis ulla venit, labor omnis inanis.
Fata obstant, visumq; aliter qui Numine IOVA
Aspiciens gressus & seculi sensa futuri
Pro dignis meritis, proq; impietate nefandâ
Pœnam æquans sceleri, venturâq; desuper orbi

Disponens, equâ subigens moralia lance,
Humanum regit arbitrium, & quæ sæpe tenebra
Nec mundo sperante tegunt, sunt obvia Iovæ.
Scilicet ipse DEVS vitas & crimina cernit,
Nec cernit tantum, sed crimina vindicat osor.
Hinc stirpem illustrem generosaq; pectora primum
Morte beat placidâ, & venturis eripit Euris.
Nè faciat, terris si cælum misceat Orcus,
Omnesq; in miseros Furiarum effundat habenas,
Insontes maneat gravis exitus, implicet omni
Quippe malo mundus, nec, si non limina ponat,
Conditor omnipotens, electis parcat amicis.
Hoc metuens pater, insontes & fraude carentes
Ipse sua dextra inscripsit, gressusq; gubernans,
Si jam terra minas crepet, & fremere Orbis & Orcus
Incipiat, tantis ereptos nempe periculis
Cæli in parte locat, venientesq; excipit vlnis.

Ergò prima fuit VVILHELMI cura, paratum
Confugere ad CHRISTVM, primis miratus ab annis
Quem dudum tacito fixum sub corde gerebat,
Atq; redemptorem mundi, nostræq; salutis
Instauratorem miro credebat honore.
Edoctus vatum per vera oracula, vatum
Biblia quos nobis signis certissima monstrant,
Biblia, quæ crebro versabat pollice Princeps,
Biblia, quæ crebro versabat pectore Princeps,
Seu nocturnus eques Titan venientibus umbris
Mergeret Oceano, seu primo exciret Eoo.
Hæc dulces natos velut ad cœlestia mella
Ducebat, placidis verbis firmabat & ausis.
Invigilant studijs pueri, librosq; fatigant,
Et Psalmos numerant recitantq; decenter ad unguem.

Hinc

Hinc si quando suo terras perflabat Erynnyss
Turbine, & ingentes ructabat ab ore procellas,
Et poterat ridere dolos & ludere fluctus,
Collectosq; fugare astus, promittere solem.
Hac requies vitæ, hac omnis medicina doloris.
Certius hic prostant presse solatia mentis
Quam si Chrysippus que plurima scripsit & Orpheus
Intactis cecinit numeris, cedrisq; notavit,
Obscurum rationis iter normamq; secuti
Noctes atq; dies voluamus singula, & imo
Corde reponamus. Vanâ hinc spe ludimur omnes.

Tum verò certus fidei certusq; salutis,
Ob candorem animi magni quem fecerat unum
Ante alios omnes, aula intra limina fidum
Pastorem vocat. Is gressus maturat & ante
Spem citior praesto est. Mox Princeps incipit ipse
Quam me deficiant vires, lassosq; recedant
Corpore, nec solito peragant sua munia nisu,
Sed magis atq; magis tenues labantur in auras
Cervicis. In manibus Domini sunt denique sortes,
Sint quæcunq; meæ. Nos omnes ille vocavit.
Nos omnes ergò excipiet: Sic, me quoq; Cælo.
Vivo seu morior Domini sum. Vivo lubenti
Emoriorq; animo, Domino quæcunq; placebunt,
Et mihi certa placent, sequar, & quò poscit, abibo.
Quæ mea sit concepta fides, quid pectore credam
Et quid defendam, constantiq; eloquar ore
Ante oculos interq; manus sunt omnia vestras.
Confiteor quod sim peccati mole gravatus,
Adiunctusq; choro, qui furto letus iniquo
Amisit decus, & mortem lucratus acerbam
Insuper aternâ meruit succumbere peste:

Sed

Sed CHRISTI confusus ope, haud confusus adibo.
Imò adeo, certâ spe nixus sanguine labem
Quod tollat meritisq; MEAM. Iam gratia parta est.
Iam patris irati placatum Numen & omnis
In miseros heu, quem Sathanas conceperat estus
Extemplo cecidit, deleta est littera, dudum
Quam generi humano ostentabat perfidus augur.
In te, CHRISTE, Deumq; hominumq; Patronumq;
In te succresco, reviresco, senesco, quiesco.

Non ego nec fas est, vana deliria mentis,
Quæ contra verbum stygijs produxit ab Orcis
Ipse Sathan, foveo: nec nostris illa recepi
Templis, nec recipi patiar, dum vita manebit.
Insertus CHRISTO, ceu surculus erigor unâ,
Et CHRISTUM caput, ut membrum sequor. Ille virentem
Imponet capiti, non lauri aurivè coronam,
Omnia sed semper victuram in secla Coronam.
Verbum divinum est mea sola & firmâ voluptas.
Verbum, quod sancti consignavère Prophetæ
Ordoq; Apostolicus, benè quod Tria Symbola, & olim
Quæ sine labe fuit, nullam tum passa lituram
Augustæ procerum curâ submissa Monarchæ
Romano, fidei certissima Regula nostræ
Et duo LUTHERI Compendia, Formula nostris
Vnde locis sua firmata est Concordia, sensu
Consensus uno creduntq; docentq; fideles.
Hoc Verbum nunquam cupiet, licet omnia tentet
Ipse Sathan, non, si vel Cælum in tartara solvat
Incutiensq; polum tellurem effundat in undas,
Hæc immota sedent menti, hæc sententia nostra est,
Hæc vestris pono in gremijs, hæc sensibus imis
Hæc memores, res non est parva, reponite vestris.

Vos

Vos ante ora hominum testes mihi namq; futuri,
Vos ante ora DEI testes mihi namq; futuri,
Hanc animam totos qua toto infusa per artus
Cum DEVS is repetet, qui primam in se verat antè,
Et nòs visuri rursus veniemus in unum.

Quod DEVS ò votum presenti Numine firma,
Dixerat. Attoniti, intenti omnes ora tenebant
Quorum ea vox ingrata DVCI S pervenit ad aures,
Atq; hinc astantes circumstetit horror & illinc,
Obstupuere animi, gelidusq; interna pererrat
Ossa tremor, quid fata parent, quo poscat Olympus
Insignem pietate virum, qui fœnore multo
Et patriæ prodesse queat, generiq; beato,
Famamq; ulterius vivis extendere factis.

Tum Pastor, qui plura animo volvebat, & illa
Quorsum spectarent animo præviderat antè,
Spem vultu ostendens, premit altum corde dolorem
Quem præsaga mali intulerat mens, talibus infit.

Princeps illustris tantis exercite fatis;
Heu quod deficiant vires, lassosq; recedant
Corpore, nec solito peragant sua munia nisu
Cernimus, & nostros casus pro jure dolemus.
Sed DEVS est relevare suos qui novit & omne
Cum cadit auxilium humanum roburq; remittit
Astat divinum propius, Solemq; reducit.
Verberat ut sanet, premit ut solatia præstet,
Castigatq; suos natos quos diligit, olim
Ut meminisse queant Patrii fidenter amoris,
Astat, & in medijs dextram supponit amicam
Ignibus, apparet lætus, non nescius ægri
Quid forsan valeant humeri quid ferre recusent.
Non ò non DEVS ipse suorum & fraude carentum

C

Nescit

Nescit iter, sed sensa tenet, sed sensa gubernat.
Nunquid filiolos obliviscetur iniqua
Mater, & abijciat curam mentemq; benignam?
Et si filiolos obliviscatur iniqua
Mater, & abijciat curam mentemq; benignam:
Haud tamen vlla Deum capient oblivia nostri.
Nempè sui coetus inscripsit nomina dextræ.
Expectemus eum. Ipse facit facietq; , nec unquam
Deseruisse potest justos & sanguine partos
Sic promissa ferunt. Promissa urgebimus omnes
Nulla mora in CHRISTO est, non is promissa retractat.
Nam si magna potest nobis promittere CHRISTVS:
Et servare potest CHRISTVS, qui singula solus
Aeternis regit imperijs, nec subiacet ulli.
O felix quicumq; DEO confidere novit,
Spes quæ nixa DEO nunquam confusa labascet,
Dogmata nunc nostris nos auspice Principe tanto
Audimus templis purissima, fontibus ipsis
Quæ deducta pijs autorens sola loquuntur
Ipsa DEVM. Procul hinc abeant deliria mentis
Quæ contra verbum stygijs produxit ab undis
Ipse Sathan nostris se subtrahat ille catervis.
VERBUM divinum est tua sola & firma voluptas.
VERBUM divinum sic sit tua sola voluptas.
Hæc nostris posita in gremijs hæc sensibus imis
Hæc memores, res non est parva, reponimus omnes.
Nos ante ora hominum testes sumus usq; futuri.
Nos ante ora DEI testes sumus usq; futuri
Cum nos visuri rursus veniemus in unum.
Tunc dabitur plenis cognoscere singula sibris,
Quæ nunc magna latent nostras mysteria sensus,
Tum dabitur duplicis miranda in prele parentis.

Fædera

*Fœdera natura propiori luce videre,
Nec vidisse semel satis est, juvat usq; morari
A facie ad faciem, & multorum exquirere causas,
Qua tunc ob labem magnis immersa tenebris.
Hoc DEVS hoc presens clementi Numine firmet.
Sic ait: & doctis qua sacris prompta pharetris
Omnes eludunt stimulos, & vertere fundo
Antiquus serpens terrorum & fraudis abunde
Quicquid habet, poterunt, magnâq; elidere luce,
CHRISTVM sola DEVM sitientia pectora mulcet,
Felix sorte suâ supero quod Numine plenum
Principis accepit pectus CHRISTVMq; sub imo,
Ut solet evibrare beatos pectore motus
Sensit, & afflatu divino singula ferri.
Vix exorsus erat dictum per amabile Pastor;
Mox Princeps verba interrumpit, & ordine longo
Perspicuo promit sensu qua mente tenebat.
Usq; adeo à teneris pietati assuescere multum est,
Præq; alijs cunctis, ceu fas, quæ Biblica scripta
Nocturnâ versare manu, versare diurnâ.
Sic benè sic nobiscum agitur, sic itur ad astra
Gressibus haud dubijs, sedes ubi fata quietas
Ostendunt nobis, multoq; favore receptant.
Sic benè sic pietas nobis tutissima virtus
Plurima quæ vita humana, vitæq; futura
Præmia fert Calathis, nec in vna sede quiescit,
Hæc miseris magnum rebus solamen in arctis
Cum iam mors falcem minitatur, & omnia latè
Fervere perspiciunt leto, rotasq; patentes
Misceri ante oculos querulis clamoribus ades;
Et cum dira fremens hominum perversor & osor
Bella manu Furiasq; gerit, peccataq; magno*

Enumerat fremitu, & magnas super aggravat iras,
Ceufremit in campis leo ventos passus & imbres,
Nocte super mediâ magis asper & improbus irâ
Sevit in absentes, collecta fatigat edendi
Ex longorabies & sicca sanguine fauces,
Horrendum tonat, atq; replet clamoribus auras:
Haud aliter Sathana egrotos & scripta tuenti
Biblica, iamq; pio morientes cedere fato,
Ignescunt ira, & diris dolor ossibus ardet,
Quâ tentet ratione aditus, & que via lassis
Excutiat fibris animos, veramq; salutem
Eripiat miseris, & ad infima tartara trudad,
Tunc animis opus egregijs atq; arte magistrâ,
Tunc certare licet cunctis sed vincere paucis.
Felix cui certare datum est & vincere mundum.
Hoc pietatis opus Christo duce & auspice Christo.
Non hac humanis opibus, non viribus ullis
Proveniunt, neq; nos humana scientia servat
Maior agit Deus, & regnum ad cœleste remittit.
Ne sapiunt ergo qui primo tempore merces
Expositas passim templis, atq; obvia dona
Dignis excipiunt animis, sponsoq; propinquant
Expansis vlnis sacra cum virgine, cautè
Quæ benè sana suo maturat tempore lychnum,
Obvij, ut excepti cœlestis gaudia vite
Admixti Superis intrent, atq; otia nuptis
Quæ promissa diu, peragant cum preside sponso
Quisquis emit sibi dum commercia publica prostant,
Empta habet in promptu, rerum cum flagitat usus:
At segni quisquis somno vinoq; sepultus
Distulit in feras oleum reparabile noctes
Omniū egenus opum rebus decumbit, inemptis
Maturare

Maturare viam cum sponsus forte iubebit
Interrupti ignes, nec habebit flamma medullas
Sed mox in cineres nequicquam mota fatiscet,
Sponsus abit, munitq; retractos obice postes
Et sic indignum sese indignatur amore.
Is cubat ante fores, epulis accumbere sponsi
Expes & indignus, nec habet fortuna regressum.
Vsq; adeo magnum est laetum cognoscere tempus;
Obvia peccatis quo gratia parta triumphat.

Sed nondum collapsa lues, nec mente petiturum
Quod fuerat tota, rediere in pristina vires.
Verum increbescit vitium, vivitq; tegendo.
Sic visum superis, Pugnatum est arte medendi,
Sed superat morbus, viresq; acquirit agendo.
Ante alios noster BRENDelius ipse vocatus
Hippocrates inter quo non praestantior alter
Scire potestates herbarum, artemq; medendi,
Morborum occultas venientum expendere causas,
Morborum occultas venientum expellere causas,
Consult in medium, & rebus succurrit acerbis,
In partesq; agitatos & singula versat,
Multa manu medica tentat, curaq; fideli.
Nil medica valere manus, nil cura fidelis.
Fata vocant, tandemq; sui pervenit ad aevi
Concessas metas Princeps WILHELMVS, & ipsum
Iam iam, quem dederat cursum fortuna, peregit.

Scilicet & metas maiora potentibus herbis
Fata dedere suas, nec supra Numina, vimq;
Ascendunt artes, nec metas temnere tutum.
Nec medici est omnes herbis expellere morbos.

Scilicet ex alto sic disponente Iehoua
Stat sua cuiq; dies, breve & irremeabile tempus
Quoniam est vitae, sed vitae claudere tempus

In sperante fide, peccati mole remissâ
Id Christi ducentis opus. Dum fata sinebant
Sat medica valuere manus, nunc cura recessit.

Ergo suos natos & natas, pignora lecti
Chara sui, magnas spes & solatia regni
In conclave vocat. Mox adsunt ilicet omnes,
Adsistunt lecto, atq; rigantes fletibus ora
Cum gemitu patris casum miserantur acerbum.
Stat simul & iuxta coniunx, mœstissima coniunx,
* Multa super natis lacrymans, & Principe multa.

Tum Princeps: Vos filiole quam cernitis ipsam
Hanc matrem, que vos semper dignata favore est
Plus quam materno, & vos iam tenditq; fovetq;
Matris habete loco, pietatis provida cura
Vi fas est, nunquam sincero è corde recedat.
Maxima sic ultro vos summi dextera IOVÆ
Defensasq; dabit, patriq; fovebit amore.
Et vos filiole mea magna & sola voluptas,
* Vos linquens abeo, tutorem hoc tempore cristi
* Constituo vobis magnum, qui sidera torquet,
* Et sibi fidentes non unquam deserit orbos
* Ipse Deus, pater is sit vester, fidite patri,
* Fidite, non vestras frustrabitur ille querelas,
* Discite que discenda viris, vitate probatis
* Que vitanda viris, vero pietatis amore
Mente DEI sacras attentâ volvite leges.
Et tu, chare PHILIPPE meorum sedulus olim
Tu facito, cum mox matura adoleverit ætas
Sis memor, addiscas animosus idonea vite,
Virtutemq; tuis ab avis, verumq; laborem,
Sic te sic animo volventem exempla tuorum
Inclita Saxoniciis magis & magis excitet oris

Ruta,

Ruta, nec ignavo marcescant pectore flores,
Sic te, sic Deus imperio sceptrisq; paternis
Præficient dignum, & magna inter præmia ducet.

Sic ait, & cunctis deducto pollice dextram
Porrigit. Ast illi os, oculosq; manusq; loquentis
Iamdudum & lassum lustrabant lumine corpus,
Patris multa oculis obversabatur imago,
Complebatq; gravi tam mæsta dolore medullas,
Mox & ad uxorem conversus talibus inquit:

O coniunx dil. Et a mihi, dilecta, I E H O V A E
Te commendo, tuis non deêrunt præmia captis,
Dignis non deêrunt factis fideiq; iugali
Ne dubites, sanxit qui vincla fidemq; iugalem
Nusquam aberit, nusquam tua spes delusa gemiscet.
Quæ pia, sub I O V A E præsentis est Numine coniunx,
Præcedo, referent tua si sic fata, sequeris
Meq; meosq;, redemptoris tum proxima CHRISTE
Claudemus tatera, & comites hærebimus una.
Interea æternum, coniunx dignissima, salve,
Æternumq; vale. Hæc digressu dicta supremo
Fundebat Princeps. Illa his exterrita fatis
Astat, mæsta metu magno, nec quomodo tandem
Hos casus vitare queat satis invenit, & iam
Labenti similem, tristiq; in corde putantem
Plurima nec tantum potuit quæ ferre dolorem
Suscipiunt famula, referunt, stratisq; reponunt.

Interea lectum diversâ in parte iubente
Principe, quo melius fessos sopor occupet artus
Sternitur. E stratis Princeps consurgit, & illuc
Procedit, gressumq; omnes comitantur herilem.

Nec mora succedit lecto, mediog; reposta
Membra locans, tollit rectos ad sidera vultus,

se seq;

*Seseq̄ insinuat Iovæ, placidumq̄ sub horâ
(Quæ somni postrema) petit per membra soporem.*

*Sed non aula Ducis tanti solamine casus
Hoc letata diu est, mox hæc mutata recessit
Fortuna, atq̄ imis infligit vulnera fibris.*

*Ecce iterum sudor toto de corpore manat
Frigidus, & solitus calor ossa relinquere lassâ
Incipit, & sensim restingui commoda vitæ
Flamina, nec dignos dignè procurrere ad usus.
Concurrunt Medici, sed non commercia vitæ
Sollicitâ possunt revocariè amplius arte.
Mox & pastores adsunt, qui plurima libris
Eruta divinis solatia debita menti*

*Infundunt, & mortis amaræ toxica mulcent.
At non lingua facit iam tum lassata benignum
Officium, nerviq̄ labant, vis deficit omnis.*

*Ne tamen & desit mentis sententia nutu
Declarat, monitis quid tandem pectora volvant
Credula, quid tandem voci proferre negatum.
Cognati extremus si quis super halitus erret
Ore legunt, animamq̄ vocant, quæ dirigat artus.*

„ Sed tum Princeps sub manibus placidè expiravit,

„ Sic nempe ante Deum mors est preciosa piorum,

*Et pergrata quies superis quæ miscet, & omnes
Abstergit lacrymas oculis, & sede reponit
Sidereâ Adamus quâ diris excidit ausis.*

*Omnia tranquillæ vitæ tranquilla. sibiq̄;
Convenienter eunt, respondent omnia fini,
Principio medium, medio vltima linea rerum.*

*Pacatos pacata decent, & amica quietis
Iure quies si quæ sunt vitæ turbida, mox &
In somnis etiam terrent insomnia mentem,*

Cum

Cum vigilant, oculis mox obversatur imago
Turbida: nec factis requies datur ulla nefandis.
Eumenidum velati cernit secum agmina Pentheus
Et solem geminum, & geminas se ostendere Thebas;
Aut Agamemnonius dudum furibundus Orestes
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Cum fugit, ultrices Furiae per singula versant.
Sed cum fata vocant solvuntur frigore membra,
Ante oculos horrenda coruscat imago, fugitq;
Cum gemitu & fremitu vita indignata sub umbras.

Sic quicumq; hominum, nunquam peccamus inulti.
Pessima sic Furiae comites exorsa sequantur,
Sontibus intentant angues, faecundaq; labe
Viscera pro meritis aeterno verberare pulsant.

Tum verò ingenti concussa est regia ludis,
Atria perumpit clamor, mala fama per urbem
Discurrit, resonat magnis plangoribus aether,
Lamentis, gemituq; & faemineo ululatu
Tecta fremunt, facies rerum stat tristis ubiq;
Cives, non iam cives Rectore perempto
Conduplicantq; manus, feriunt & pectora pugnis.
Non aliter quam si immisissis VINARIA multis
Hostibus expugnetur, & illinc tecta domorum
Hinc turres, illinc magnà vi culmina frangant
Hinc scalas aptent, illinc imitentur Olympi
Et sonitus, flammascq; Iovis, sed corpora Sale
Inijciant, faedentq; repenti sanguine fossas.

Quis tibi, quis dudum coniunx, celsissima coniunx,
Amplius haud coniunx, sed in hunc servata dolorem
Sorte tuâ infelix, cernenti talia sensus?
Quosve dabis gemitus cum fuerit cassa mariti
Inspiceres oculis presentibus, omnis & unâ

D

Collapsus

Collapsus calor, & nihil est in imagine vivum.

Cernis ut exuvia sint ista, vita recessit

Ad fontem vivum, quæ vivida venerat olim.

Absens est ille, hunc absentem audisq; videsq;

Conticeo. Non ulla mihi iam verba supersunt.

Lingua labat, stupet & mens, atq; exterrita tantos

Incursum non ipsa capit. Vos cetera, si qui

Mutua coniugij subijstis fœdera, si qui

Fatis sub placidis socium fovistis amorem

Sueta thori nec fors experti iurgia, si qui

Ultima pacificæ luxistis fata marita.

Conjucite, & vestro mœrorem expendite sensu,

Non ea vis linguis, intus quæ pectora tangunt,

Anguntq; & frangunt, vivis describere formis,

Exprimat omne licet versus, dignoq; colore

Ante oculos ponat, socium non versus amorem

Exprimit. Exuperant vires commercia flammæ,

Quæ socius calor intus agit, præcordia vinclis

Perpetuis necit, roburq; acquirit amando.

Certior extemplo magnas id fama per vrbes,

Vrbes, Saxonico imperio quas junxerat olim

Omnipotens & in hoc pacatâ pace beârat,

Finitimiq; colunt populi, quæ plurima tanti

Facta Ducis norant, & sevis plurima natis

Sæpe recensabant, hæc multâ voce canebat:

WILHELMUM, qui SAXONICO de sanguine cretus,

Illustrem pietate virum, & candore paterno,

Illustrem virtute virum, factisq; probatis.

Occubuisse citum, nec vescier amplius aurâ.

Obstupuere animi, & casum miserantur acerbum

Stemmatibus antiqui, quæq; hinc ventura sagaci

Mente putant, generisq; dolent tam tristia fata.

Scilicet

Scilicet hoc animi est generosi, ut lumen apertum
Omnia collustrare loca, atq; extendere factis
Egregijs nomen, famâ super astra volare,
Et sibi devinctos peramico munere secum
Circumferre animos alio sub sole jacentes,
Ut vivum constanter ament; doleantq; peremrum.

*Protinus ad fratrem cursus detorquet, & imos
Tristitiâ incendens animos, quæ funera restent,
Quæ sit conditio generis, quæ tristior aula
SAXONICÆ facies, longo sermone recenset.*

*Attonitus, magnosq; animum labefactus amore
Stat Princeps, clarâ Princeps de stirpe IOHANNES, 77
Ante oculos frater, fratrem iam cernit & audit. 77
Frater adest, frater cibus est, insomnia frater. 77
Tum via vix tandem voci laxata dolore est, 77
Incipit, & mæstus lacrymis sic fatur obortis.*

*Hunc te, VVILHELME, aspiciam? Non talia nuper
Sum mihi pollicitus, cum me complexus euntem,
Mecum ires, & spe magnâ tua damna levares.
Tene, meis semper tam fidum rebus Achatem
Invidit fortuna mihi? nec voce supremâ
Affari extremum mihi te data copia fratri.
Frater abes, fratris dudum præcordia tecum N3
Aufers, & multo laceras discrimine, noli,
Noli quaeso, tuum nec fratrem desere frater.
Sed quid ago? Fratrem liquisti frater, acerbâ
Pressum sorte, & mærentem quàm plurima corde.
Heu vos filioli, quæ vobis funera, quantum
Præsidium & quantum Germania patria perdis.
Sic ait, & magnum premit alto corde dolorem.*

*Et iam fama volans tanti prænuntia luctus
JENAM, JENENSESq; domos & mœnia dudum*

Complerat, patres aderant fatumq; suorum
Et quam iam prae grande decus patriq; parentem
Lugeat amissum recitans ACADEMIA, longum
Extemplo gemitum tunsis ad sidera tollit

Pectoribus. Nunc moerentes has aspice sedes
Aspice, Moerentum praesentes aspice vultus.
Nondum omnis cecidit dolor, ossibus heret, & imis
Commixtus fibris animum huc, nunc dividit illuc,
In partesq; rapit varias, perq; omnia torquet.

Qualis nocturnâ moerens Philomela sub umbrâ
Amisos queritur fetus, quos rusticus agro
Observans nido implumes detraxit, at illa.

Flet noctem sua fata gemens, miserabile carmen
Integrat, & maestis quae proxima questibus implet.

Non est humano, non est de sanguine cretus,
Illum sed duris produxit cautibus horrens
Caucasus, & fauci mammis admovit Erynnys
Qui ceu dura silex, vel ceu Marpesia cautes
Non fletu ingemuit nostro, non lumina pressit,
Non lacrymas victus dedit, aut miseratus amicum est.

Sed quid conquerimur maesti? Celsissime Princeps,
Haec TIBI mortis erant meta, via magna peracta est.
Omnes expectat mors, & commune periculum.

Nunc te sidereâ magnâ stipante catervâ
Angelicâ, & procerum multum applaudente senatu,
Sede fovet CHRISTVS, lacrymasq; abstergit obortas,
Et secreta diu nobis, mysteria pandit,

Cum socijs DOMINI pendes narrantis ab ore,
Tutus ab insidijs hominum quoq; & arte Pelasgâ,
Tutus ab insidijs Sathanae ceptisq; nefandis:

Nos alias hinc ad lacrymas eadem ultima leti
Fata vocant, adversa vocant, adversa pericla

Circum-

Circumstant, nostrisq; etiam cervicibus haerent. 77

Sed tu CHRISTE, leva presenti numine casus,
CHRISTE leva, patria semper miserate labores.
Protege SAXONICAM, quæ vix dum vulnere nuper
Influcto respirat, & agrâ mente recumbit,
Dextrâ SAXONICAM divinâ protege RUTAM,
Atq; DUCEM insignem pietate fideq; IOHANNEM
Tectumq; incolumemq; ad secula sera reserva.

CHRISTE leva, pie CHRISTE, leva commune periculum
Cernis ut horrendum & visu mirabile monstrum
Tarpeia quod sede cubat falsâq; superbit
Segnitie, & nostris inhians metitur aristas,
Insremat, & nostrum rigido petat ore cruorem,
Proq; tuo verbo nugas divendat & astus
En quot IESUVITICIS, en quot, nunc sibilat hydris.
Credo equidem, nec vana fides, tot terra Gigantes,
Tot Furias habet illa suas vexata nefandas,
Quot nunc IESUVITICAS eruçant tartara Sphinges.
Ingenio produnt, quo sint doctore profecti.
Et factis produnt, quo sint autore vocati.
Possunt unanimes armare in praelia fratres
Atq; odijs versare domos, & vulnera mentis
Vix sananda alijs infligere, verbera tectis
Funereasq; inferre faces, his nomina mille
Mille nocendi artes fecundum fraude cerebrum.
Dic cessent hæc monstra DEVS, dic sancta professi
Nomina, nobiscum coëant in fœdera dextris,
Aut age diversos, pereant, quâ morte merentur,
Fac pereant, ô fac divini Numinis hostes
Supplicia incurrant scopulis, & nomine CHRISTVM,
Quem toties verbis, heu irrisere superbis
Sape vocent frustra, sed ad infima tartara trusi.

D 3

Aeternum

Aeternum sedeant, & raso vertice cunctos
 Admoneant, magnâ testati voce per umbras:
 Discite divinum verbum, nec temnite **CHRISTVM**.
 Sed tu, **CHRISTE**, modum statues & limina pones.
CHRISTE, leva, pie **CHRISTE** leva, commune periculum.
 Cernis ut insultent Turca, medioq; ferantur
 Agmine per campos nostros, tumidiq; secundo
 Marte ruant, non clausa tegunt iam mania cives
 Germanos, intra portas en praelia miscent
 Ipsiq; aggeribus, merus est hic ludus, iniqua
 Sternere cede viros, & mania cingere flammis,
 Aras diripere, insontes stuprare puellas,
 Imbelles pueros vel matris ab ubere raptos
 Obruncare parentum eliso ante ora cerebro.
 Nec satis est restant iterum bella, horrida bella,
 Et tandem graviora manent. Nunquamne levare
 Obsidione fines patriam? Imò, **CHRISTE**, levare
 Obsidione fines. Tua gens, tua dogmata templis
 Illa docet, semper sub **CHRISTI** Numine tuta
 Patria nostra fuit Germania, Disyce Turcas,
 Disyce, pelle procul, fugit antia castra relinquunt,
 Cede cadant fundantq; animam super arma cruore
 Et pacem nostras reducem florere per oras
 Da **DEVS**, ut puris è fontibus hausta frequenter
 Dogmata teeta sonent, & cantent Biblia silva,
 Artesq; ingenue, tua dona, ingentia dona
 Dignis populeâ studijs doceantur in umbra,
 Substratq; tuo venienti ex ordine verbo
 Usibus humanis prosint & honore triumphent.
 Sic tibi, sic terris compostâ in pace sedentes,
 Sic tibi, sic caelis caelesti à sede recepti
 Viéturo meritas dicemus carmine laudes,

Aeter-

Aeterno meritis dicemus carmine laudes.

*Mallem plura, sed hic spatium exclusus iniquis
Subsisto, magnae rerum quae plura reposcunt
Ambages, veniens nobis edisseret annus.
Nam si fata meis patientur ducere vitam
Auspicijs, & sponte mea componere versus
WILHEMVS, proceres inter dignissimus omnes
Dicetur, capiantq; altaria dona quotannis.
Nunc tandem claudam rivum, ne diffluat, & vos
Ite domum fesse, tempus monet, ite Camæna.*

D I X I.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

D I X I

V
S
T





THRENOLOGIA II.

De tristissimo, beatissimo tamen, obitu
& abitu

ILLVSTRISSIMI ET CELSIS-
simi PRINCIPIS ac Domini

Dn. FRIDERICI
WILHELMI DVCIS
SAXONIÆ, LANDGRAVII
Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Proëlectoris quon-
dam laudatissimæ memoriæ, Anno M. DC. II.

VII. Iulij in cœleste *πολίτευμα*
evocati

I E N Æ

Publicè

In auditorio maiore

ANNO M. DC. VI. VII. IULII,
ipso discessus die
recitata

à

M. THOMA SAGITTARIO
P. L. Cæsar. & ibid. Græcæ linguæ
Professore publico.



ALTENBURGI IN OFFICINA ILLVSTRI.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

PHYSIOLOGIA
BIBLIOPHILIA

PHYSIOLOGIA
BIBLIOPHILIA
SAXONIA
VITAE

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA

PHYSIOLOGIA
BIBLIOPHILIA

PHYSIOLOGIA





DECANVS COL-
LEGII PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA IENENSI,
M. IMMANVEL HASIVS AV-
mensis Scholæ oppidanæ Rector

L. 5.



OBILISSIMVS TROIANO-
rum Princeps AEneas relictâ
Carthagine in Italiam navigatu-
rus vñ tempestatis in Siciliam de-
fertur, quo cum appulisset, sepul-
tura, qua genitor ipsius defunctus
anno superiore eodem die apud
Drepanum fuerat cohonestatus, in mentem eius ve-
nit; cuius memoria ita percitus fuit, vt ad suos, quos
secum habebat socios conversus, hac voce legatur
vñus esse lib. 5. Aeneid.

*Dardanida magni, genus alto à sanguine Divum,
Annuus exactis completur mensibus orbis.*

Ex quo reliquias diviniq; ossa parentis

Condidimus terris, mæstasq; sacrauimus aras.

Famq; dies (ni fallor) adest, quem semper acerbum

Semper honoratum (Sic DI voluistis) habebo.

E 2

Hunc

*Hunc ego Getulis agerem si sortibus exul
Argolicove mari deprensus Et vrbe Mycenis,
Annua vota tamen, solennesq; ordine pompas
Exequerer, strueremq; suis altaria donis.*

Quod si AENEAS, homo à vero DEO veraq; Reli-
gione alienus, tanto pietatis & amoris affectu erga
parentem suum demortuum flagrauit; vt non solum
annuum tempus, quo terræ illatus fuit & mandatus
exactè obseruari; sed etiam hunc ipsum diem sem-
per acerbum semperque honoratum habuerit: Quid
quæso nobis qui CHRISTO dedimus nostra no-
mina, si morte repentina & inopinata pius quispiam
Princeps, qui nihil differt à bono parente; qui Patriæ
pater, qui terræ scutum & vectis portarum, qui cor-
porum honorum & honorum defensor, qui Ecclesiæ
Nutritius clementissimus, & vtriusq; tabulæ custos,
è gremio nostro tollitur, faciendum esse putabimus?
Profecto cum Sanctorum mors sit preciosa in conspe-
ctu Domini, & iusti dicantur esse in benedictione
DEI: multo in maiore honore admiratione & me-
moria illorum obitum & abitum habendum esse o-
mnes iudicare iure optimo debemus. Hoc ipsum
& forsàn longè præstantiora cum vir clarissimus
M. THOMAS SAGITTARIUS Poëta Cæs. & Græ-
cæ Ling. Professor in hac Academia Ienensi celeberrimus
secum animo diligenter reputauerit: nefas
esse putavit, si optimorum Principum memoria tam
cito interiret, idemq; tumulus, qui eorum corpora
contexit, nomen & virtutes Heroicas obrueret.
Quapropter vt res illorum præclarè gesta eò diu-
turniore

turniore memoria alerentur, sermonibus crescerent,
literarum monumentis inveterascerent & corroborarentur,
siquidem illæ nullum aliud præmium virtutis,
nullum aliud honoris insigne, nullum aliud laudis
monumentum postulant præterquam huius diei me-
moriæ sempiternam, vt nuper Illustrissimo & Cel-
sissimo Principi ac Domino, Domino IOHANNI
Duci Saxonæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni
Misniæ, &c. Principi nostro (B. memoriæ) clemen-
tissimo binas publicè instituit solenni conventu pa-
rentationes: Sic & Celsissimo Principi & Domino,
DN: FRIDERICO VVILHELMO Duci Saxon, &c.
quondam Electoratus Saxonici ADMINISTRATO-
RI meritissimo, ante quadriennium pie demortuo
Fratri &c. Domino nostro clementissimo, iam secun-
da vice, & ipso mortis die; quem & ipsum, vt Aeneas
sui parentis, semper acerbum, semper honoratum ha-
biturus est, dum Spiritus ossa regit, parentationem
debitæ subiectionis & gratitudinis ergò CARMINE
HEROICO elegantissimo & doctissimo adornare de-
crevit, cæteras annis sequentibus, si DEO visum fu-
erit, additurus. Quod ipsum cum ad CRASTINUM
diem, qui erit VII. IULII circa IX. antemeridi-
anam in maiori Auditorio publicè sit recitaturus;
omnes omnium ordinum Professores, Doctores, Li-
centiatis, Magistros, Baccalaureos & reliquos Aca-
demiæ nostræ cives officiosè & amanter rogatos vo-
lo, vt ad dictum tempus & horam, vbi signum cam-
panulæ datum fuerit, frequenter conveniant, & sua
præsenti a grati animi & debitæ subiectionis docu-
mentum edant. Iusta, quæ Aeneas patri suo persol-
vit, non sine magnis sumptibus fuerunt peracta. Si-

quidem illa bidentum, suum, & juvencorum ma-
tione, imò etiam vini effusione constitisse leguntur :

*Nec non & socij, quæ cuiquam est copia, lati
Dona ferunt, onerantq; aras, maectantq; juvencos
Ordine athena locant alij, fusiq; per herbam
Subijciunt verubus prunas & viscera torrent.*

Nihil harum expensarum præsens sibi exposcit con-
gressus. Tantum offerte debitam Magistratui sub-
iectionem, solitam *συντάξεως*, necessariam attentio-
nem, & Deo & Magistratui & omnibus bonis satisfac-
cistis. Valet P. P. Ienæ, VI. Iulij A N N O
M. D C. VI.



Postquam



Ostquam SAXONICAM toties affligere

RVTAM

Immeritam visum superis, ceciditq; WIL-

HELMVS,

(Proh dolor) Ille Pater patriæ, ceciditq; IO-

HANNES.

(Proh dolor) Ille Pater patriæ, ceciditq; IOHANNES.

(Proh dolor) illa pia succrescens stellula stirpis,

Diversa exilia & toties iterare querelas,

Paulumq; obductum invito renovare dolorem

Augurijs agimur Divum, luctusq; sub umbris

Volvimus, & lacrymis manes decoramus amicos,

Incerti quid fata velint, ubi sistere detur.

Et tantum letis animis componere planctum,

Sidere quo tandem suspensam blanda vicissim

Gaudia pertentent mentem curasq; relaxent.

Heu nihil invito fas est sperare Iehoua

Heu nihil invito fas est mutare Iehoua.

Vita bonum fallax violæq; simillima, passim

Qualis vere novo Zephyriq; tepentibus auris

Floret, & ad radios solis sua brachia pandit,

Frigore lesa brevi mox quæ ridebat in hortis

Languescit moriens, & fracto sole cadente

Demittit collo caput & lassata recumbit.

Quis nostrum violam quæ iam marcescere cepit

Succumve in tenues dudum exhalavit in auras

Exanimem vivo perfundet flamine, & intus

Desperato iterum dotabit viscera succo?

Dic:

Dic quibus auxilijs & eris mihi magnus Apollo.
Dic quibus ex herbis & eris mihi iure Machaon,
Aspectare licet violam, per singula sensus
Volvere, & angustas hinc nostras discere sortes.

Quis nostrum o quis SAXONICAE progermina RVTAE
Et virtute DVCEM insignem & pietate VVILHELMVM
Et virtute DVCEM insignem & pietate IOHANNEM,
Quae vi nativâ felicia, prodiga leto
Proventu, patriamq; arasq; Scholasq; beabant,
Et gratas gratis praebebant civibus umbras,
Nunc eadem exussit violento Sirius aestu
Decutiens folia & ramos, omnemq; repressit
Letitiam in nostris revirendi desuper hortis.

Quis nostrum o quis SAXONICAE progermina RVTAE
Quis tandem poterit caecis excire sepulchris
Corporeoq; oneri vivi consortia sensus
Iungere, & egregio dignari munere mundum?
Non haec humanis opibus non arte Magistra
Proveniunt. DEVS est qui caecis corpora tumbis
Excitat & lumen reddit vitale sepultis.
At quaecunq; DEI non illa capessere fas est.

Ergo quid restat? Quid? Tunsis pectora palmis
Testari gemitum & corda haud oblita piorum,
Exuviasq; patrum nigrâ velare cupresso,
Extremum & ter voce, VALETE, VALETE, VALETE
Dicere, & instantes nostras hinc discere mortes.

Scilicet & gratas fugiant obliviam mentes
Ingrata, & Reges civis sub pectore vivant.
Scilicet humanas tangant spectacula mentes
Humana, & Reges doceant post funera cives.
Felix quem faciunt aliorum funera cautum.
Felix quem faciunt aliorum fata beatum.

Quare

*Quare agite o PATRES, quos equè tangit & angit
Iste dolor, mecum VVILHELMI Principis urnam
Quarite, purpureos & circum spargite flores
Et gemitu & lacrymis manes decorate beatos.
Exiguum magnis pro factis munus, amici
At quod jure DVCI S merito debetur honori.
Nil sine VVILHELMO nostri consortia cætus
Nil sine VVILHELMO Musa, qua prasidet tanto
Optima felici fundebant carmina plectro,
Nunc decus amissum lugent & conscia fata
Indignata animis cytharamq; modosq; requirunt,
Qualiter aspirat Musis præsentibus æther
Sic etiam ingenium sic & solatia duris
In rebus simili consistunt sorte locoq;.*

*Et vos Musarum sanguis, lætissima pubes
Huc celeres huc ferte gradus, huc busta VVILHELMÆ
Nos benè nota vocant, mecum suspiria fibris
Dividite ex imis. Quod nunquam tristia verba
Sensusve, aut mœsti mœsto cum pectore vultus
Divulgant, hoc testari suspiria possunt.
Sic Pietas sic iusta iubent consortia, Titan
Quèis studiosa ligat firmo præcordia nexu.
Humanos humana decet miseratio, sortis
Et mortis commune malum est, commune periculum
Communi non tangi sorte & morte nefandum est.
Nostra en res agitur Princeps cum proximus exit
Vitâ, nec solitâ civis bonitate relaxat
Ulterius, sed abit nullo revocabilis ausu.
Ecce Dii hic habitant. Plenas singultibus ædes
Tempore pro tristi lacrymantum accedere præstat,
Horrida tempestas quam cum caput vndiq; cingit
Aerumnæq; premunt ridentum invisere mentes.*

F

ET

ET duplex augere malum, nec vulnera casus
Importuna gravi medicis obducere dextris.

At tu summe DEVS, qui nostris providus oris
Semper ades, semper vigilas pro tegmine RVTAE,
Deprimis ut releves, relevas ut pectora grates
Persolvant meritas & caelum & sidera noscant,
Tristia pro luctu tanto, pro Principe tanto,
Pro casu tanto dignas in carmina vires
Suffice & inceptum mecum decurre laborem.
Magnus, en ille labor. Semper sua vota IOHANNES
Accipiens alio dicetur tempore nobis.

Nunc carmen VVILHELMVS erit. Sic temporis ordo,
Ex quo relliquias diviniq; ossa parentis
Spiritus exposuit vivus, calumq; petivit,
Imperat, atq; memor communi in clade querela
Luctusq;, auspicijs lacrymisq; egere volentem.
At quis VVILHELMVM dignè describet & orsa
Factaq; virtutesq; omnes, si Numina dextrum
Supponunt non fausta pedem, nec pectora tangant
Calitus, & vivo perfundant viscera Phæbo.
Nulla salus tenebris, lucem te poscimus omnes.

Tempus erat primo quo iam ditissima flore
Et matura virum WILHELMVM fecerat aetas
Tum pater omnipotens, qui regna aspectat & vrbes
Et populis dignos ingenti munere Reges
Sufficit atq; Ducum subiectos ditat honore
Iustitiâq; domos, oculos ad mœnia torsit
SAXONICA & iuvenem fame melioris amantem.
Nec latuit. (Quid enim caelestia fata lateret?
Quàm patrio Rectore carens THVRINGIA, supplex
Pro duce, qui regno succedat, Numen adoret,
Acceptam Superis PIETATEM insigne polorum

Est

Es sacram THEMIDIN, quas mutuus insuper ardor
Iunxerat, alloquitur dictis, ac talia mandat:

Vadite vos, & quae dicam deferte per auras,
VVILHELMVM, qui SAXONICO de sanguine cretus,
Expectant sat regna diu THVRINGICA Regem.
Sit Rex ille domus, sit publica gloria gentis
SAXONICAE, & magno famam coniungat Olympo.
Hunc patriae promitto patrem, regnisq; paternis
Praeficio fatiq; datas iam partior vrbes.
Regnet & in patriâ moderetur pace nepotes.

Dixerat. Ha patris magni parere parabant
Imperio PIETAS unâ & THEMIS. Vtraq; pulchræ
Virginis os habitumq; gerens & Numinis arma
Divini, qualis Raphaël demissus ab alto
Aethere mundum intrat claraq; in luce refulget.
Illa humeris de more suis suspenderat vltro
Biblia, & invictum LVTHERICVS & alium
Thesaurum, quo iam CONCORDIA dia triumphat:
Hæc Legum tabulas & longa examina rerum,
Quas vitæ humane cursus, ceu Sisyphus olim
Saxum immane ingens adversa per æquora, volvit,
Iustis circumfert manibus hominumq; Deorumq;
Ostendit placitâ Iovæ vestigia lance.
Vt primùm alatis tetigere ingentia plantis
Tecta DVVIS, dudum benè nota sedilia quærent,
VVILHELMVM volventem animis digitisq; libellos
Conspiciunt. Illi à summo inspirata IEHOVA
Biblia erant, Tyriog; ardebant murice & auro,
Aspectu iucunda, effectu fortia, mater
Quamprimùm charo dederat quæ munera nato
Nocturnâ versanda manu versanda diurna.
Continuò hæc PIETAS placido prior edidit ore:

F 2

Ipse

Ipse DEVS, VVILHELME, tibi nos mittit Olympo:
Regnator, cœlum & terras qui numine torquet,
Ipse hæc ferre iubet celeres, mandata per auras.
Expectant te regna diu THVRINGICA Regem.
Quid cessas? Quid privatim teris otia terris?
Quin age quin potius sic stat sententia IOVÆ.
Sic iubet. At Iovæ non tutum est spernere iustum,
Aggredere ô magnos (quos defert tempus) honores.
Aggredere ô VVILHELME paratos. Cuius & annis
Et fatum generi indulget, quem Numina poscunt
Aggredere. En ciues, en qui te deniq; vultus
Observent. En quæ Patriæ te vota requirunt.
Respondere decet votis & vota Regentum
Respice, cui regnum patrium & THVRINGICA tellus
Debentur. Patriæ sit maxima cura Regenti.
Accipe, quæ dantur jam sceptrâ, tuere penates
I. defende piâ sub relligione nepotes.
Nusquam aberit quem iure colis quem iure vereris
Iova DEVS. DEVS ille quod olim sanxit, & illud
Asserit, & Reges, quamvis fremat omnis avernus,
Divinis beat auspicijs & Numine firmat.

Sic ait: At tanto VVILHELMVS letus honore,
Et confirmatus monitu imperioq; IEHOVÆ.

Agnosco vultus, inquit, nec vota meorum
Crebra latent, patriæ nec nobis cura recessit.
Maius onus terret, quod sæpe molestius Aethnâ
Imponit frenanda Duci Respublica, Lites
Quæ velut Aeolys prorumpunt undiq; ab antris
Et quæ porta ruunt, atq; vrbes turbine perflant,
Deiciant non rarò animum, curâq; sequace
Mentes sollicitant iuvenum, qui iuris amantes
Et Scyllam cupiunt simul & vitare Charybdin.

Sed!

Sed iam nulla mora est, sequar, & sequar omnia tanta.

Iovae hoc imperium est, Iovae est sub Numine regnum.

Cedo equidem, nec sceptra manu tractare recuso,

Tu modo Iovae domum & patriam defende clientem,

Da firmum auxilium pater, atq; haec munera firma.

Applaudit THEMIS & sceptrum, quod iussa gerebat.

Protinus expansis VVILHELMO porrigit ulnis,

Et letata suo iam praeside, talibus insit:

Accipe quod summo tibi sceptrum mittit Olympo,

Ipse pater, iustumq; fove iustumq; professos,

Deprime degeneres. Sic pax & lata voluntas

Hinc atq; inde Lares longo velut agmine cingent.

Hoc, DEVS esto ratum, dixit, Subitoq; reliquit.

In medio sermone virum, vixq; alta per auras

Intonuit, Salve Princeps, salve optime Princeps,

Salve iterum, & felix susceptum perfice munus.

Perfice. Cunctipotens aderit DEVS omine leto.

Iustus iusta fovet, nec iniquis occubat orsis.

Iustus iusta movet, tenebris nec sidera miscet,

Iustis Iova favet, nec iniquos protegit hostes.

Iustos Iova juvat, sed iniquos proterit hostes.

Nec mora. Mox regno Princeps succedit avito

In regno haud regnum medians, sed patria volvens.

Consilia, & placidos ostendens undiq; vultus,

Iurasses hominum divino Numine adoras.

Atlantem advenisse novum, qui maximus olim:

Ille velut caelos humeris torquebat & astra:

Lumina distribuens terris reducesq; Phalanges:

Sic & VVILHELMVS Spharam PIETATIS & orbes

IUSTITIAE iusto libramine fulcit, & annos

Ante suos animumq; gerens curamq; virilem

Premia dinumerat, qui premia iusta merentur.

F I

NUM.

Sed!



Nūquam IUSTITIÆ nūquam PIETATIS ab aqua
Dilapsus normā, non si nova secula Pyrrha
Diluvium mundo minitentur, & omnia fessis
Cum domibus pia templa velint subvertere fundo,
Aut Erebus latè sua Tartara pandat, & egrè
Concutiat magno furiosum Acheronta tridenti.

Primus enim vera PIETATI consecrat aras
Effrenem increpitans Papam Furiarūq; morantes
Quæ dudum abrumpunt fas omne piūq; relaxant,
Legesq; indignè figunt pretio atq; resigunt,
Confecto Germanorum potiantur ut auro
Securæ quid sacra velint, quid Biblia volvant.
Non benè conveniunt nec in vnâ sede morantur
Seditio & pietas & habendi cœca Cupido.

Mox sic invadit: Quæ vos, quæ iactat Erynnis?
Quid struitis? Quâ spe Germanâ in gente morantes
Clementes vultu simulatis, corde Nerones
Insidias miscetis, & impia bella moveris.
Tantane vos Papæ tenuit fiducia vestri?
Iam cœlum terramq; DEI sine Numine certo
Vendere, iam Sathanam duris constringere nodis,
Ex Phlegetonte animas iam dudum luce carentes
Excire, & cunctas audetis fallere gentes.
Quos ego? Sed Siculas hinc præstat tollere nugas.
Maturate fugam, Papæq; hæc dicite vestro:
Non illi imperium terræ Germanidos. Imò
Non ullum imperium concessum cœlitus. Ergo
Traçtet sacra manu, teneat sua Biblia dextris,
Et doceat populum, quæ veram vera salutem
Ostendunt, cœlumq; addunt se desq; beatas.
Regnent, quos regnare DEVS super æthere iussit.
Indignum est animæ pastores quærere Lucrum

Vi fraude & precio mundana capeffere regna
Quiq; vicem Christi subeunt intrare caballis
Et Reges calcare pede & diffringere pacem.

Dixit & innocuos Verbum cœleste professos
Pastores templis adhibet, mandatq; sonare,
Codice quod sacro Sancti asscripsere Propheta
Et scriptis retalere suis, quia miserat Orbi
CHRISTVS. Doctores, & quod constancia magno
Imperio Augusta subiecit nobile germen
Scriptura, & digno fuit amplexata favore.
Felix ô felix Regio quæ conscia puros
Verbi haurire potest puro de fonte liquores.
Cætera sunt mundi, sunt cœtera subdita morti,
Cœlorum est pietas, pietas invidiâ remansit.

Non ergo meritum terris præstantius ullum est
Quo Princeps cives beet, & confirmet honores
Quam purum Iovæ verbum si protegat armis
Sive manu adversas eius oppugnare catervas.
Hoc est SAXONICIS decus immortale racemis
Vel Solis proprium, verbum tenduntq; foventq;
Instar apum fucos velut à præsepibus arcent
Et rabiosa suis ab agris contagia pellunt.

Quæris SAXONICA numeros hæc RVTA per annos
Cur viret? & clarum caput inter sidera condit?
In promptu causa est: Pietatem promovet ultrò
Et verum Iovæ supremi Numen adorat,
Verbum commissum custodit, & opprimit egros.
Quæris sæpe aliud stirpis prænobile sidus
Famaq; cum generis maioribus & magnis DIs,
Cur perit? & stygijs subito se condit in umbris?
In promptu causa est: Pietatem negligit exlex,
Nec verum Iovæ supremi Numen adorat,

Verbura

Vi

*Verbum commissum deridet, & opprimit agros,
Sic sibi quisq; suam fortunam fingit amicam.
Sic sibi quisq; suam fortunam fingit acerbam.*

*Vestibulo in medio VVILHELMVS construit aram
Cælo prognata Themidi, sociæq; Minervæ,
Et circumponit virtutes ordine longo,
Dignum Iustitiæ moderamen & æqua potestas,*

*Principibus rigor indignus qui strictus aberrat,
Et placido dulcore caret vis omnis iniqua est
Vis perturbat agros & magnas deijcit vrbes.*

*Hinc regni proceres, quibus est commissa potestas
Et causas tractare foro & cognoscere casus
Et magnas licitis medijs componere lites,
Convocat, atq; illis attentis talia fatur:*

*Vos regni proceres quid munia vestra reposcant
Nostis, & egregio dudum explevistis amore.
Sic agite, & diam sic exercete sororem
IUSTITIAM moniti, nec magnum temnite IOVAM
Auxilio relevate inopes, non dona clientum
Sacilega captate manu, defendite iustos
Et mulctate malos. Sit Iudex omnibus idem
Sit legum commune bonum, non gratia vincat,
Non consanguinitas quod justum est verberare tollat,
Non odium premat indignos non aula Camœnas.*

*Dixerat, Et subito valvis hinc undiq; Legum
Affixæ tabule & THEMIDOS monumenta probata
Civibus insinuant quid Princeps mandet, & æquum
Quid felix Astrea velit, quid Numina poscant.*

*Ipsæ adeo Princeps quod iussit, protinus ipsæ
Exequitur, sunt mandatis conformia facta.*

*Rectè equidem. Populi sic non invita sequentur
Obsequia & Princeps si quod jubet ipse peregit.*

Ergo

Ergo bonos Dux ipse fovet, Dux ipse potentes
Audit, & emeritis ingentia premia ponit,
Ceu pius Aeneas vel famâ ad sidera notus
Victor cui nemo ex cursu indonatus abibat,
Sic & apud nostrum virtuti premia prostant.

Præmia currentes suscepto in munere firmant.
Præmia languentes longè ad maiora reducunt.
Præmia stertentes astris melioribus addunt.

Ergò malos Dux ipse premit, Dux ipse nocentes
Damnât, & emeritas poscit de sanguine pœnas.
Sed tamen attendit meritum discrimen & ausus.
Si quis error habet sua qui vestigia retro
Læsa referre velint moniti & meliora sequantur,
Erratis veniam dat, ut indulgentia cœli
Si quem pœniteat peccasse, piacula lapsis
Condonat facile, & lacrymis miserescit obortis.
Humanum est humana pati atq; ignoscere navis.
Nosse vices vitiumq;, at non odisse dolentes.
Si quos crimen habet, quorum jaçtancia mentem
Possidet, admissam ut nolint cognoscere labem
Luctantes animos desperatosq; Gigantes
Imperio premit, & vinculis & carcere frenat.
Quinetiam licet in ius, si crimina cogant,
Exstirpatq; malum, partesq; excindit iniquas,
Ne scabies per regna repat, totasq; per vrbes
Non custoditas infausta incendia subdat.

Scilicet hoc medicus est ferro flammisvè paratis
Principiò læsis Gangrænam extrudere membris,
Ne virijs infecta novis sincera labascant;

Nempe & Iustitiæ est ferro sudibusq; præustis
Principiò vitâ sceleratum excindere ciuem,
Ne vitijs corrupta novis vrbs tota gemiscat.

G

Si

Si dubitas. Et quis dubitet? modo respice vitam:
Respice Misniadum convivium, respice pacem,
Respice compositas lites & praelia Calvos
Respice sopitos Lemures ô respice dices:
Misniacis novus est VVILHELMVS partus Achilles.

Non etenim linguae mihi sisunt, orag, centum
Ferre a vox, omnes possem comprehendere vires.
Et monita & vultus patrios quibus Misnidos oras
Civesq, ut natos pater est dignatus amicos
Dum visum IOVAE ELECTORIS nomine magnum
Mittere in imperium VVILHELMVM, arasq, relictas
Atq, Duces magnam magni patris incrementum.
(Quos mihi fata Duces servent ad sera nepotum
Secula, dentq, illis dignas pro nomine laudes)
Et populum & leges patriae committere cura.
Pro re pauca loquar: Prohibet nam caetera tempus,
Ambagesq, verant prolixa, & copia rerum.

Nescio quae scabies per Misnica regna per vrbes
Volventum fraudes ingentes arte SINOVM
Serpere caeperat, haud aliter quam Troica regna,
Confidenter equo inclusi crudelibus ausis
Invadant, Priamiq, domum nil tale timentem
Et mox incensa Danaï dominantur in vrbe.
Tum Satanas vafras artes, nova pectore dud im
Consilia, & fraudes tacitas volvebat, & astum:
Blandâ velarat facie PIETATIS, ut olim
Falsus Amor monitu Veneris fallentis & alas
Exiit & gressu gaudens incedit Iuli,
Ignem quo caecum inspiret fallatq, veneno,
Ne quis scire dolos mediisvè occurrere posset.
Pastores etiam non pauci, pandere verum
Verbiq, ad puros animas d. ducere fontes.

Digne

Digna quibus commissa fides Iovaeq; parentis
Grande ministerium & puri custodia verbi,
Ad peius mentem abijciunt, auremq; sequuntur
Primum aspirantem & magnam se mole ferentem.
Sic prostat virium, & facilis descensus averni
Semper, & humanae est tanta iuconstantia mentis.

O quoties magno dixisti Misnia luctu:
Felix o felix essem si littora tantum
Nunquam Calvini tetigissent nostra Phalanges.
DI prohibete minas, DI tantum avertite casum
Et placidi servate pios, servate penates,
Ne qua pios tanta labis contagia tangant,

Accessit maius vulnus, maiora pericla,
Ipse pater patriae primus CHRISTIANVS, at HEROS
O quantus! Dux SAXONIAE, praenobile fulcrum
Romani imperij & rebus spectata columna
In cuius gremio dudum defensa sedebat
MISNIA, & audaces Zephyros spernebat & Euros,
Immature obituq; abituq; in flore iuventutis
Omnem praeter spem patrijs secesserat oris,
Et cives leges urbesq; reliquerat orbas.

O quos tum gemitus o quae suspiria magno
MISNIA singultu fund bas. Resq; Laresq;
Visq; viriq; omnes cum spe succumbere visa.
Nec falso. Quid enim Respublica Principe cassa?
Quod mundus sine Sole, polus sine sidere, navis
Absq; suo Rectore, Deo sine Apolline Musae,
Et sine patre domus, capitis sine nomine truncus.

Est decus imperij Princeps peramabile fidus,
Est patriae Princeps, Princeps est gloria civis
Vitaq; Quo Labente, labantq;, caduntq;, ruuntq;
Omnia, quae vivo in populis iam flore triumphant.

Tandem respexit miseros Deus Aethere ab alto
Nam res humanas totos infusa per artus
Mens divina videt, & Spheram pollice volvit
Assiduo humanorum operumq; onerumq; laborumq;
At superam extemplo mentem mortalia tangunt.

Misnidos ergo suas VVILHELMVM mittit ad oras,
Et merito defert magnam ELECTORIS honorem,
Atq; onus imperij Tutori imponit, ut equas
Defendat leges iustumq; piamq; relictos
In verâ haud dubius firmet pietate Quirites,
Sontibus indicat tristes regaliter iras.

Nec mora VVILHELMVS tanto succedit honori
Atq; oneri fidens IOVÆ. fatisq; paternumq;
Accipit incives animum mentemq; benignam.

Primus VVILHELMO labor est, ea cura quietum
Sollicitat, firmare animos pietate fideli,
Expurgare aras, detrudere finibus, omnes,
Quod solitam turbare fidem atq; exvertere sensum
Consensumq; patrum & veri consortia verbi
Humano placito & diris conatibus ausum est,
Consuetosq; iterum templis indicere honores.
Hinc pro regno agitans curas animumq; paternum
Spemq; metumq; inter dubios, mox convocat ultro
Vultuq; & dictis inærentia pectora mulcens.

Audite, o cives, ait, & spes discite vestras.
Ne sensus hominum, ne susquipedalia verba
Querite, ne cœcum stulta Rationis acumen
Consulte in rebus, quas sacra Oracula pandunt,
Magnaq; sub parvis volvunt mysteria verbis
Ne vos in tantis Rationi credite rebus,
Hic certus latet error, habet velut herba lacertos.
Quamprimum Ratio verso iam cardine fibras

Impulit.

Impulit, & tacitos turbavit glossula sensus,
Rarum deinde sacro mysteria prendere verbo,
Nec revocare gradus facile, aut sentire decentes
Divino affiatu vivo sub pectore motus.
Inconsulti abeunt, nec quò consistere tu id
Nec quò certa Salus profert, quo mæsta recumbant
Pectora succurrit. Brevis & levis usus in illis.
Quin potius CHRISTVM & certissima Biblia adite
Audite & vates precibusq; oracula dextris
Poscite, & innocuis audita insigite fibris.
Illa canent, vocesq; pias atq; ora resorvent.
Illa hominum casus venturaq; commoda cælo,
Et quo quosq; modo fugiatis ubiq; labores
Expedient cursusq; dabunt venerata secundos.
Ite p̄y, vos ite p̄y, mea maxima cura,
Ite, pium verbum & vates meliora docentes
Consulte ò memores, quos sidere IOVA soeno
Sufficiet, solitoq; aram instaurabit honore
Verbum custodire DEI est. Ne temnite verbum.
Lucem restaurare DEI est. Ne temnite lucem.
Vates suppeditare DEI est. Ne temnite vates.
Vates à IOVA missis mea dextera vobis
Defensos dabit, & sueta inter pulpita ducet.

Dixerat: Applaudunt omnes melioraq; cernunt
Auspicia, & qua sit iam Misnidos obvia templis
Religio magno sentiscunt gaudio, & imo
Exclamant de corde: Unam faciemus utring;
Pacem animis, maneat nosiros ea cura nepotes.

Scilicet hoc Regum est animas curare suorum
Corporaq;, & in regno letam defendere pacem.
Quid mihi divitiæ? Quid magni gloria mundi?
Quid splendor? Quia honores? Quid convivia Regum

G 3.

Si mibis

Si mihi non CHRISTO & meritis conceditur vni?
Qua non qua tandem mentes avertere Christo
Nequitia est? Et nos fas oelica querere regna
Non hominum est recto detrudere pectore Christum
Sed veteris serpentis opus Lemurumq; nefandum,
Iam iam fata tuis latum decurrere campis
Incipiunt iterum, redeunt Saturnia regna,
Et quae iam nuper pesti devota futurae
MISERIA squalidas, decus immortale receptas.
Tu modo tu Superos o non absiste precari,
Et Deus & felix successus vota sequentur.
Vota Deum vincunt stringuntq;, & nubila rumpunt.
Altera cura scholas dignis Doctores, omnem
Iustitiâq; replere forum, succurrere laesis,
Et pacem refovere sinu, componere lites.
Sicut Amalthea cornu ditissima plenis
Faenora dinumeras calathis & lilia promit.
Tanta est utilitas, decus est tam grande scholarum.
Hinc privatae domus capit, hinc Respublica late
Floret, & egregijs se Ecclesia sustinet vlnis.
IVSTITIA innocuos velut inter sidera ponit
Annumeratq; IOVI, fontes caucissima ad umbras
Ad ferrum, ad maria, ad corvos, deturbat & ignes.
PAX beat alma Lares, populos bene ditat, & aras
Constabilitq; animos & conscia foedera servat.
Lites disiungunt animos & foedera rumpunt.
Pacem te colimus, pacem te quærimus omnes.
Lites vos fugimus, lites vos odimus omnes.
Imprimis noster magno VVILHELMVS amore
Saxonicae spem gentis & illustrissima fratrum
Corda trium, pueros-iuvenes ingentibus ausis
Egregijsq; animis divinum stemma loquentes

Suspicit,

Suspicit, & plusquam patrijs complectitur vlnis.
Publica praeg, ferens privatis commoda damnis
Ipse suis, magnas volvit sub pectore curas,
Nunc pro filiis, nunc pro Rectore probato,
Nunc pro sorte Ducum & venturis forsitan Euris.

O quoties dixit: Pueris o parcite fata,
Parcite commissis Ducibus, mea cura, meum cor
Sunt illi, teneros ne fors contagia ledant,
Ne tangant lingua, ne mentes toxica fallant
Gnathonum, aut quicquid teneros male fascinat annos.

O quoties dixit: Sic vos sic ite per astra,
Ite, **ICES**. Sic o **FRATRES** felicibus ite
Virtutum ad templum Pietatisq;, Herculis instar,
Auspicijs, patrumq;, animos aequate labore,
Atq;, avus **AVGVSTVS** vos Misnidis excitet **HECTOR**.

Est magnum magnis nasci maioribus ortu:
At propria virtute genus decorare paternum
Id beat, & natos Divum ad consortia sistit.

O quoties dixit: Permultum o Misnia cresce
Et ditefce. Utinam qua nunc es Saxea, seculo
Venturo, sic dante **DEO**, sudore, labore
Consilioq;, meo **DVCIBVS** post aurea prostes.

Hoc nempe est Regum Tutorumq;. Omne patris
Esse loco, curare Lares sedesq;, paratas
Et digno pupilli augere peculia censu;
Non cum jactura populi damnoq;, minorum
Et loculos replere suos, distendere cistas,
Pupillis sed deinde nuces apponere cassas.
Qui dignas etiam digno pro munere poenas
Iure suo incurrunt. **DEVS** est qui respicit orbos
Assiduis oculis, **DEVS** est qui vindicat orbos
Assiduis poenis, & fontes verberare pullat.

Sunt

Sunt homines qui tutores quâ nomine, non re
Oderunt ceu claustra Erebi dirumq; baratrum.
Qualis tutor erit, talis pupillus. Amorem
Si cernet patrium, rursus spondebit amorem
Tutori pupillus, & addet dona, nec vlla
Aeternum gratam capient obliviam mentem.

Hic neq; caeca Ducum capient obliviam mentes.
Sed vivum **WILHELMUM** amplectebantur amore,
Nunc crebris lacrymis extinctum funere lugent,
Supremoq; ferunt cineri sua dona quotannis.

Respice filiolos **WILHELMI** stemmate natos
SAXONICO, qua clara brevi nova sidera caelo
Addet, & imperio dignos dabit inclita virtus.
Respice. **SEPTEMVIR** magnus **CHRISTIANVS** amico
Quam fovet in gremio, quam curâ protegit aquâ,
Et quali pietate **DUCES** dignatur & **AVLAM**
ALTENBURGIACAM. Sedet altâ mente repostum
WILHELMI meritam quondam **TUTORIS** & haerent
Tâm placidi & patrij defixi pectore vultus
illustriq; fides animo consueta recurset.

Sic manus ergo manum lavat, atq; meretur honorê
Dignus honos, charam mentem mens chara, fideiq;
Excipit obfirmata fides, & pectora dudum
Non ignara malorum orbis succurrere discunt.

Nempe **FAVOR MERITUM** quem conciliavit ad annos
Durat perpetuos, & primùm cognitus agrè
Serpit humi, tacitus velut ignis, alitq; medullis
Sopitas flammâs, mox viso cardine rerum
Frumpit, solitoq; beat loca quâq; calore,
Emittitq; sui vivas solaminis auras.

Non novus iste favor, nova non est gratia, dudum
Vivo **WILHELMO** caepit, nunc explicat alas

Qua

Qua vires iterum atq; iterum quaesivit amando,

*Ecce etenim postquam perfunctus munere sacri
ELECTORATVS VVILHELMVS, reg; peracta
MISNIACIS quæis præfuerat, discedere regnis,*

Atq; videre suos miro properabat amore,

Tum FRATRES animis omnes florentibus, omnes

Magnanimi & verè augustissima gloria RVTÆ

SAXONICÆ, Misias meditantem linguere terras

Inuisunt, O quæ pleno tum mutua Phæbo

Colloquia, & verè terris consortia Divùm,

Qualia pro Grecis Agamemnon, Nestor, Achilles

Solliciti in castris iterant sermone disertò,

Et varios volvunt casus belliq; labores,

Non illos cythara non illos buccina voce,

Longavè multiforà delectat tibia buxo;

Sed tempus sermone trahunt, virtusq; loquendi

Materia est, bellum referunt, Martemq;, suosq;

In Paridem Priamumq; animos, irasq; priores,

Tum CHRISTIANVS ait Dux, ô fidissime gentis

SAXONICÆ, pater imperij, pars magna Senatus

GERMANI & nostræ defensor MISNIDOS ora,

Quas tibi quas tandem tanto pro nomine grates

Selvemas grati? dabimus quæ præmia digno?

Qui nos in tantis damnis, quæ suggerit Hydræ

Lernaâ mundus fœcundior, omnibus horis

Auxilioq; iuvas, & certa pericula cauto

Consilio avertis, pacem defendis, & auri

Secula, quæ nostro novit GERMANIA seclò.

Non unquam vires nostræ, non munera tantum

Exequant meritum. Quid enim pro nomine facti

Et curas possit patriosq; rependere vultus?

Hæc DEVS, hæc orbos quæ spectant Numina, quodq;

H

Vsqvam

Usquam Iustitia est, & mens sibi conscia iusti
Præmia digna ferant. Iterum promittimus omnes
Officia, & mentem quam nunquam obliviam tangent.
In freta dum fluvij current, dum RUTIA vigebit
SAXONIDUM, dum sancta fides, quæ scandimus astra,
Semper honos laudesq; tuæ gratesq; manebunt.

Sic ait: Et placido respondit corde VVILHELMVS
O præstans animi iuvenis, spes magna paterni
Imperij. DEVS est qui regna gubernat, & æqua
Consilia, ille animos regit, & ceu Numine motus
Assiduo humanos ad publica commoda flectit.
Ergo DEVM ad summum grates & præmia grati
Vertamus, captis cursus dedit ille secundos,
Et dabit ille tuis, meritosq; augebit honores,
Sacra suosq; tibi commendat MISERIA natos.
Sit Pietas cordi, sit cordi vivida virtus.

Has cape fatorum comites, his mœnia firma,
Magna peroptato tibi quæ dat IOVA favore.
Nunquam IOVA pios, nunquam commercia iusti
Deserit, aut Reges vani ludibria vulgi,
Esse sinit, Reges qui spernit, Numina spernit.

Hæc paucis IOVA Æq; omnes commendat, & addis:
O DEVS, alme DEVS, cœlorum maxime Rector,
O patrias audito preces, & Numine firma.
Nunc ò nunc liceat, FRATRES, quos ordine fido
Complexu teneo intactam producere vitam,
Illesosq; suis tandem succedere regnis,
Compositos placidâ per regna quiescere pace.

Sic fatur lactymans rapidoq; per obviam curram.
Æquora progrediens charis allabitur oris,
Notaq; recta subit, latè VINARIA cœlo
Quæ magna exæquat, murosq; ostendit avitos.

Tunc

Tum verò ingenti cives dant iubilæ plausu
Vndiq; vota Deo solvunt pro Rege recepto,
Non secus ac olim ventos perpressus & imbres.
Aeneas Troiæ peteret cum regna recentis
Desertosq; novo decoraret milite campos

Tum verò Princeps solita vestigia vitæ
Regniq; ingrediens ait, ut iam corde lubentis
Ut vos aspicio cives, consortia vestra
Quæ dudum rupere mora, post tempore longo
Imperijs posuere modum curisq; paratis.
Nunc datur in gremijs iterum spes discere vestras,
Et propius laudare bonos, vultusq; videre,
Nec vidisse semel satis est, juvat usq; morari
Colloquioq; frui vestro & cognoscere casus.

Scilicet hoc patrium est nunquam consortia civis
Aversari animis, nunquam pia vota gementum
Aversis ridere oculis & ludere lesos.

Nec mora! iam patriam, & spes & solatia, cives
Consilio propiore beat; iam quicquid ad auras
Conatur cæcis incendia volvere tectis,
Amovet, & primis velut averruncat in herbis:
Iam quo quisq; suos per campos possit & oras
Securas sperare vias & temnere fures,
Vim vi propellens clypeos opponit, & hostes
Si qui perrumpant, adversis territat armis.

Imprimis, dudum ceu castra exosus & arma
TURCARVM, toto pugnatum est corpore regni:
Nunc iterum magnas patria mittuntur ad urbes
Vndiq; legati, qui tanta pericula narrent,
Qui doceant quantis infestent cladibus oras
Germanas, quantis Turcarum ex gente Phalanges
Auspicijs intra portas iam prælia versent,

H a

Iam

Iam Turcas iterum Vngaricis consistere regnis,
Advectos hostes classi, dirasq; Mephites,
Quas halat fallacibus ALCORANVS Avernis,
Templis inferre, & CHRISTO subducere honores,
Et regem fatis SVLTANVM dicere posci,
Parcere non senibus, non parcere posse puellis,
Parcere non pueris matris vel ab ubere raptis.

Ergo o vos cives, sic nostra pericula poscunt,
Cogite o auxilia, & venienti occurrite damno.
Ferte citi ferrum, date tela, avertite flammam,
Hostis adest. Et nos, ni IOVAE cura resistat,
Iamdudum flamma tulerint atq; hauserit ensis.
Hæc eadem nos fata manent, bella, horrida bella
Hæc eadem & nostros expectant, Turcia nostros
Perpetuo insequitur motu iurata nepotes,
Vngaricos nam si pellat, nihil obfore credit
Quin omnem Europam penitus sua subiuga mittat.

Principijs obstemus, habent hæc commoda lectum
Consilia eventum. serò post pharmaca profunt,
Cum morbi laesos iam tum rupere per artus
Depascuntq; omnes, serò post flumina profunt
Cum iam flamma ardens victrix ad tecta domorum
Evolat & iam tum fastigia summa pervivat.

Sic memorant. Illi monitu virtutis amore
Atq; odio in Turcas, qui vis pro nomine census
Contribuunt gazas, animisq; volentibus ultro
Concurrunt armis omnes ad utrumq; parati
Sive offerre aurum seu certo occumbere bello
Mortem pro patria, mortem pro laude pacisci.

Sic, cives, sic vestra fides, sic fœdera poscunt,
Sic, cives, fortuna fidem mutata novavit,
Ostenditq; animos quantos pro Principe, quantos.

Erög.

Proq̄ gerat patriã & CHRISTO gens subdita Regi.

Ex templo gazis Princeps WILHELMVS & aurum

Argentumq̄ addit magni fulcimina belli,

Premittitq̄ Pragam socios, qui conscia iungant.

Agmina, & instantes obruncent are catervas,

Disturbentq̄ greges & pellant finibus hostes

O si præterea plures Germana tulisset

Tantos terra viros, animosq̄ fidemq̄, favoremq̄.

In patriam & cives, in templa, scholasq̄, domosq̄,

Vngaricas nunquam dirus venisset ad vrbes

Tartarus, & versis lugeret Turcia fatis.

O quoties dixit casum indignatus iniquum

Vngarie & sortem socia Germanidos ora,

DI vobis DI pro scelere & crudelibus orsis,

O DI, qui res humanas & fœdera curant,

Persolvant pœnas dignas & præmia reddant,

Debita, qui partim monstrumq̄ fovetis & astus

Innocuos mentiti animos vultumq̄ paternum

Non tamen adiunxistis opes, non damna IOSEPHI

Lugetis, non his armis opponitis arma:

Sed ROMANAM AQUILAM, Proceresq̄ & fida Quiritum

Pectora confictò sub amici nomine Graij

Fallitis, atq̄ Duces in aperta pericula vestro

Mittitis auxilio, precio quin mœnia falsi

Quæ fidei sanctè commissa, recluditis hosti,

Et coràm patrum natos iam cernere letum,

Natorumq̄ patres coràm iam cernere letum

Cogentes patrios fœdastis funere vultus:

Partim sepositis curis Bacchanalia passim

Vivitis, & velut dudum pax regnet in oris

Securi quæ bella paret, quæ prælia terris

Misceat Vngarici irarum turbidus æstu

H 3:

Tartarus,

Turca, suosq; **VIRI** ad disita mania ducas,
Vina coronatis iuvat indulgere choreis
Et canere ad lychnum, turpemq; referre Dionem
Ad numerum, insomnes potando ducere noctes.
Non sic o Proceres, non sic socialia nexum
Corda pari, non sic. Iurato urgemur ab hoste
Vndiq;, qui contra **CHRISTVM**, **CHRISTVM**q; professos
Arma amens capit, atq; irarum fluctuat aestus
Ingenti, nostros mox huc mox turbidus illuc
Lustrat equo muros, aditumq; per avia quarit.
Non secus ac pleno lupo insidiatur ovili,
Et, ni digna manus Pastoris & ira resistat,
Iam miseras disperdat oves, & proterat agmen.
Quin agite ad bellum. cives concurrite, cives
Arma citâ torque manu, defendite muros,
Et tantum removete nefas, removete veternum.
Nondum deserti sumus, aut semel agmine verso
Funditus occidimus, sed habet fortuna regressum.
Exoriare aliquis Germanis osibus ultor.
Qui flammis, Scythicos ferrove sequare Tyrannos.
Indignum est **CHRISTI** de nomine poscere Nomen,
Et non auxilijs **CHRISTI** defendere nomen.
Sic secum Princeps. Quin si quos saepius arma
Viderat induere, & iam pleno littora cursu
Vngarie petere, ut Turca crudelibus ausis
Vnanimi obsistant acie, frangantq; superbos,
Tum Princeps monitis melioribus excitat ultro
Herculeos animos, & magnas aggravat iras.
Ite, ait, egregij iuvenes, qui sanguine nobis
Hanc paritis patriam, & strieto defenditis ense,
Ite, **DVCE**s meriti, fide vos ite Phalanges.
Ite viri, pugnate viri, pugnate, rebelles

Expugnate

Expugnate viros, sube at gravis ira, cadentem
Vlcisci patriam & sceleratam excindere gentem,
Sic vos Germani Scythicum genus omne perosa
Exercete odys, patrieq; hac mittite vestra
Munera, si Turca non CHRISTI Numen adorant,
Et nolint servare fidem, nec parcere genti,
Poplite qua fixo sequitur vestigia CHRISTI,
Pectoribusq; suis prescripsit nomina CHRISTI.
Non hic ullus amor populis, non foedera sunt.
Arripite arma viri, vocat huc commune periculum,
Hac vxor natiq; vocant Charig; penates.
Pro CHRISTO pugnatis. Habet victoria laudem.
Pro CHRISTO pugnatis. Habet mors illa triumphum.
Pro sancto grege, lege & Rege per arma per ignes
Carritis, & ferro venientes pellitis hostes.
Sic vos ite. Mori pulcrum succurrat in armis,
Vincere pro patria pulcrum succurrat in armis.
O passi graviora; dabit DEVS ipse triumphum,
Atq; hostes prosternet humi frangetq; feroces.
Si DEVS ex alto pro nostris partibus astat
Vindice iure DEO nunquam moriemur inulti.
Ite DVCES meriti, fide vos ite Phalanges.
Ite DVCES. Votis & mente sequemur euntes,
Dixerat. Et templis hinc undiq; vota supremo
Quotidie recitanda DEO mittuntur, & aris
Et lacryma & gemitus puro de corde profecti
Indicuntur, amant alternas templa querelas.
Tum lacrymis oculos Ecclesia fusa nitentes
Constitit ante DEVM, atq; has rupit pectore voces:
Parce tuis o parce DEVS. Peccavimus omnes
Ausi omnes immane nefas, delicta tuorum
Prostant, & nullas admittunt crimina fides.

sed

Sed peccasse pudet, pater, ô pater optime, lesos
Respice, contritos animis ô respice CHRISTE.
Nos, tua progenies, quibus olim partus Olympus,
Sapius (infandum) MAHOMETI unius ob iram
Prodimur, Vngaricis & longùm pellimur oris,
Inq̄ tuis aris fex Alcoranica regnat,
Et Mahometicolis vastata est vinea monstris,
Quae dudum tibi, CHRISTE, novas effuderat uvas.
Mox ante ora patrum crudeli morte peremptos
Cernimus & natos natasq̄, & funera tristi
Lugemus gemitu: Mox ad loca feta furore
Abduci nostros aeterna ad vincula ductos.
Parce tuis, ô parce DEVS, iam parce relictis.
Exitijs iam pone modos & supprime Turcas,
CHRISTE, tuum nomen qui non novere rebelles.
Auxilijs ut, CHRISTE, tuis in scepra repositi
Post laudes nomenq̄ tuum per secla sone mus
Omnia, & aetern. referamus carmine pacem,
Et vix finis erat. Iam Iova per aethera vultu
Prospiciens leto tempestatesq̄ serenans,
Militibus nostris vires animumq̄ ministrat.
In medios Romana ruunt regaliter hostes
Agmina, Turcarum per campos corpora passim
Sternunt, & summis iam viribus ocyus omnes
Demittunt leto, vetitis quos miserat armis
Mars contra patrias patriæ Germanidos oras
Aterum & alterius lapsantem in sanguine madant,
Capta sunt urbes, arces sunt deniq̄ captae,
Omnia ROMANÆ per tela, per arma, per hostes
Obvia sunt AQUILÆ, nec habet victoria finem.

Sic summos summus DEVS ipse Monarcha Monar-
Contra Scirones, contra impia bella latronum (chas
Vindice

Vindice defendit dextrâ, justosq; ruetur
In perij fasces; & magnis asserit oris,

Quin etiam placido respicitur litorea vulnere

Ipse DEVS, dudum qua iubila Rege recepto
Multa dabant, multisq; onerabant pulpita donis.
Et votis aras digno THVRINGICA sensu.
Vndiq; pax auidis templis sonat optima, verbo
Conscia qua leto sanat praeordia, & agris,
Ut solet, intus adesse DEVM testatur amicium:
Vndiq; pax patrijs campis sonat optima, grato
Et plenas frugum distendit nectare cellas,
Melle favosq; beat dulces, nudataq; musto
Tingit ubiq; novo direptis crura cothurnis.
Cives haud animis dubij nihil abfore credunt,
Quin has perpetuò possint agitare choreas,
Vlla nec obfuscare queant hunc nubila Phaebum:
O spes fallaces ô frangi nescia fata.

VVILHELMVS cadit, atq; suos patriamq; relinquit.
Jam nostris cessere locis haec gaudia, caelum
Nubila disrumpunt, campis nox incubat atra.

O lugete viri, vos ô lugete puella,

O matres lugete, senes lugete, Camæna

Lugete, ô pueri lugete, ô curia, templa,

Aula, Schola lugete. DEVS, DEVS ille recessit

WILHELMVS, nostri decus omne & gloria secli.

Sed quid ago? Lacrymis lacrymas cur concito? & ultra
Provehor, & flendo labentes demoror horas?

Fletum non tollit fletus, nec vulnera vulnus.

Sed medica est adhibenda manus, sunt Pharmaca cer-

Conquirenda locis, qua dudum Biblia nobis

Templaq; dinumerant, & tollunt pectore curas.

Lætitia pars est animis patientibus vltro

I

Fortu-

Fortunam perferre suam, cœlumq; tueri;
Menteq; non dubia finem sperare dolorum.
Non lugere sat est. Sapit is qui fata secutus
Fata domi lenit votis, & crimina vitæ
Corrigit, & cœlum & CHRISTVM sibi format amicum.

Ergò hic subsisto. Laudes & facta VVILHELMI,
Virtutesq; amplo qua nobis agmine restant,
Si me Iov. A. diu superesse & vescier aurâ
Annuerit, salvum ve huc iterum me sistet Apollo,
Pro genio, proq; ingenio labentibus annis
Adjiciam, & quantum memini post ordine pandam,
Aonioq; pias deducam vertice Musas.

Interea & semper tu flore Ecclesia, flore,
Flore RVTA DUCVM, & latè tua brachia pande
SAXONICA, in regnis, qua vero dedita verbo.
Flore IENA, tuo ô iam flore ACADEMIA CHRISTOP
Flore IENA, tuis ô flore, ACADEMIA Musis-
Flore IVSTITIA, ô flore RESPUBLICA, flore
Vosq; PATRES omnes florete, vigete, valete.
Et vos ô IUVENES florete, vigete, valete.

D I X I.



nicum.

ISTOP

re.



14/605 01

n.c.



ULB Halle 3
004 973 445



Soi

V077





N. 66, 4

T H R E N O L
 De tristissimo, beatissimo
 & abito
 ILLVSTRISSI
 sissimi PRINCIPI
Dn. FRID
WILHELM
SAXONIAE, L
 vij Thuringiae, Marchionis
 quondam laudatissimae m
 ANNO M. DC. II
 leste πολιτευμα
F E N
 P V B L I C
In Auditorio
 ANNO M. DC. V
ipso discessu
 Debitae subiectionis &
 recitata
 M. THOMAS
 P.L. Cas. & ibid. Graca
 (O)
 ALTENBURGI IN OFF



15
 (Red stamp)

